

Yd  
5392



h.1



h. 118, 27.  
(2)

3

Yd  
5392

MEMORABILIA  
QVAEDAM  
SALFELDIAE CIVITATIS  
RECENSERE

PERGIT

ET

SIMVL

AD

ORATIONES IV.

A. D. XIX. APRIL.

AVDIENDAS

EXCELLENTISSIMOS

AC

SPECTATISSIMOS

INSPECTORES

PATRONOS

ATQVE

FAVTORES

INVITAT

IO. MELCHIOR LOCHMAN

RECTOR.

SALFELDIAE, LITTERIS WIEDEMANIANIS.

*J. Secret. J. J. J.*

MEMORABILIA  
QUAE AD  
SALEBURIENSIS CIVITATIS  
RECTORIUM  
PERTINENT  
AD  
ANNO

ORATIONES IV.  
A. D. XIX. APRILIS



IO. MELCHIOR LOCHMANN  
RECTOR

SALEBURIENSIS CIVITATIS RECTORIUM



**E**x iis, quae nuper de Salfeldiae fatis per annos recensuimus, quisque miras hanc ciuitatem subiisse vicissitudines facile cognoscere potuit. Fuit ab initio sub potestate Germaniae regum atque imperatorum; a quibus, potissimum vero ab Henrico II. siue Sancto, ad Etzonem Comitem Palatinum deuenit. Quo mortuo primum ad Ottonem filium, deinde Richezam filiam, antea Poloniae reginam, quo et muliebri imperium experiretur, delata est. Aqua, cum muneris loco in sacri ordinis viri, nimirum Annonis, Archiepiscopi Coloniensis, manus aliquandiu tradita esset; et postea modo Landgrafios modo Comites habuisset

isset dominos; tandem ad augustam domum Saxonicam penitus transit. Ad christianam religionem primum variis temporibus a variis traducta videtur, eumque in finem etiam publice ab Annone Canonici delegati sunt, quos deinde cum Benedictini, tum aliorum ordinum sodales exceperunt. A regibus atque imperatoribus, vel animi vel negotiorum causa petita, in villae regiae formam redacta est, et munimenta, certe nobilitatem accepit. Sibi ipsa vero situ egregio multisque opportunitatibus ex riuus, flumine, siluis, agris, metallis, opes atque diuitias parauit. Quarum magnam partem cum superstitiosorum hominum munificentia adiuti Abbates ordinis Benedictini ad se traxissent; tandem et viri principes, et alii, qui aere alieno opprimebantur, ad eorum monasterium, tanquam ad commune asylum confugerunt. Gregorium de Thunau, qui Abbatiae ab anno 1497. vsque ad vicesimum quintum seculi sexti decimi praefuit, Comiti Rutheno duo florenorum millia et Burggrafio de Donyntotidem dedisse foenori nuper monuimus.

## MDVIII.

Öttingentos et quadraginta sumsit Balthasar, Comes Schwarzburgicus, oppignerato vico Gleya, prope Gamam sito; vt ex hisce litteris apparet: *Wir Balthasar graue vnd Herr zvv Schwartzburg Bekennen vnd thun kundt offentlich mit diesem brief gein Allermenniglich, vor uns Alle vnser Erben — das vvir eins rechten, redlichen vnd aufrichtigen kauffs verkaufft haben — dem hochwirdigen in gott, vnsern besondern lieben herren vnd freundt, herrn Georgen, Abt zvv Saluelde — zvene vnd vierzigst jehrlichs vnd ewvigs Zins, vsvnnd in vnsern dorff Gleya — sampt allen desselben dorffs gericht, rechten, obersten vnd niedersten gerechtigkeiten zu vnd eingeborung — umb acht bundert vnd vierzig gutt vnuerzblagen reynisch Gulden. — Haben demnach — Menner, Zinsfen vnd Gerechtigkeiten ann gedachten vnsern Herren von Saluelde — gevvsen vnd*

vnd Pflicht thun lassen — Der mehr genant, vnser Herr von Sal-  
 veldt hat — vns — die Freundschaft — erzeugt, das vvir  
 solch vorgestimt dorf — vviederumb zu vns kaufen — mogen — Ge-  
 ben — nach Christi vnser Herrs geburdt, tausent sunbundert vnd im  
 neunden Jahr, am tage Sandt Thomas des heyligen Bischoffs. ex MSct. \*)

MDXV.

Paroecia Schadenfis Rysio cuidam ab Abbate locata est;  
 pactionis litterae hae sunt: Wir Georgius von Gotts gnaden Abt des  
 stifts vnd Monsters sandt Petersbergk, vnd sandt Benedicten Ordens  
 zvv Salueld: Bekennen vf diesen Contract, den vvir Ern Conrat Rysen ge-  
 geben haben, vnserm psarvorvveser zvv Sebada, das vvir denselben die  
 psar zu Sebada vvieder zugesagt haben vnd vermidet acht Jahr langk,  
 nacheinander, di sib auf sandt Michaelis tagk Anno sunfzehen hundert  
 vnd in sunfzehenden ansahen solle, vvo aber der egnante nicht vvolvt blei-  
 ben die acht Jahr aus, vund sib ander enden vvenden, soler vns das ein  
 Jahr vor mundlich oder schriftlich lassen vvissen, des zu Vrkunde vnd  
 bekantnus der vvarbeit haben vvir obgenanter Abt diesen brieff mit vn-  
 serm Sigel aufgedruckt. Gegeben nach Christi vnser Herrs gepurtb  
 Tausend sunbundert vnd sunfzehen Jar. ex MSct.

Quamuis pessime hominibus, quibus eiusmodi operae  
 conductitiae verae salutis viam monstrare debuerunt, con-  
 sultum fuerit: Nihilominus tamen Abbates summo studio  
 numerum paroeciarum e monasterio pendentium augere aufi  
 sunt.

C 3

De

\*) Quae hic describi curauimus, ex codice desumpta sunt, in quo plus ducenta  
 continentur apographa eiusmodi diplomatum, quae multum faciunt, cum  
 ad illustrandam ciuitatis, tum rerum in vicinia gestarum historiam. Pluri-  
 ma sunt seculi XV. duodecim sec. XIV. et quatuor sec. XIII. Ex hoc fonte  
 igitur et ea manarunt, quae in parte priori horum Memorabilium ad ann.  
 1345. 1355. 1388. 1463. 1493, dedimus.

De hisce incorporationibus, vt vocabantur, egregie disputatur apud Hortlederum in valto illo opere de *Causis Belli germ. P. I. lib. V. cap. 8. §. 62. seq.*

## MDXVII.

Duo Salsfeldienses Wittenbergæ litteris operam dederunt, qui non solum certamini, quo Lutherus inueteratos quosdam in religione errores oppugnauit, interfuerunt, sed et post reditum, nimirum seculi huius anno vicesimo, in senatum lecti, quæ ipsi didicerant, docuerunt alios, suisque ciuibus exstiterunt autores, vt sacra repurgata amplecterentur. *Lib. in Salsfeldiogr. P. I. cap. 22.*

Eodem anno ciuitas paene omnis incendio ita peruersa est, vt stanti in foro praeter portam Blanckenburgicam Superior etiam atque Inferior sub aspectum venirent,

## MDXXV.

In tumultu illo a magna hominum agrestium multitudine per Thuringiam excitato Gregorius, Abbatum vltimus, postquam XXVIII. annos muneri praesuerat, summo terrore percussus celeri fuga Weisenburgum arcem et villam gentilitiam cum magna opum vi petiit. Vid. Schardius Tom. II. cap. 3. Lib. L. II. cap. 10.

Quoniam litterae, quibus Anno Archiepiscopus Coloniensis, Abbatiae conditor, bona huic assignata definiuit, admodum mutilatae aliquoties prodierunt; non ingratum erudito lectori fore putauimus, si eas ex apographo, quod ad ipsum exemplar Annonianum effingi curauit Dauid Aquila, paulo correctiores adjungeremus. Quales igitur nuper in bibliotheca nostra scholastica ad calcem libri a Platina de Vitis Pontii.



Pontificum scripti, mihi inopinanti obtigerunt, tales trado,  
et quidem collatas cum iis, quas exhibent Libius in Salfeld-  
diogr. Schlegel in Schediasmate de Nummis ant. Salfeld.  
Schamelius in Descriptione Abbatiae Salfeld. et Falckenstein  
in Chron. Thuring.

Fundatio et <sup>1</sup> dotatio Monasterii Salueldensis. <sup>2</sup>

In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis: Anno  
Secundus diuina dispensante clementia Coloniensis Ar-  
chiepiscopus. Nouerit electorum <sup>3</sup> fides omniumque  
sanctae matris Ecclesiae filiorum praesens et in omne  
seculum <sup>4</sup> successura christianitas, qualiter ego Anno  
Secundus, gratia Dei Coloniensis Archiepiscopus de  
proprietate cuiusdam nobilis feminae, nomine <sup>5</sup> Ri-  
chetzet in \*) pago, qui dicitur Salueld, iusta et legitima  
inter-

1. Schleg. donatio. 2. adiecit Lib. Ordinis S. Benedicti. 3. Falckenst. Sede.

4. Scham. Successum. 5. Lib. Richezzet, Scham, et Falck, Richezza.

\*) pago, qui ] Caeteri oppido, quod. Non dubito, quin harum litterarum  
arbitri causas odoraturi sint, quare ii, in quorum manibus olim autogra-  
phum fuit, veram lectionem corruerunt atque deprauarunt. Nonnihil  
detrahi arbitrati sunt Salfeldiae, si, ad vndecimum vsque seculum, ad tristitem  
pagi fortem fuisset depressa; ignari profecto erant vstitatae tunc temporis vo-  
cis pagi significationis, qua regionem, saepe magnam et amplam denota-  
uit. Rationes, quibus adducor, vt ab Annone hoc sensu pagum accipi  
putem, hae sunt. Primum Salfeldia vnum e diuerticulis fuit, vbi reges  
atque imperatores nonnunquam multis defatigati laboribus requieuerunt.  
Inde plura, vtpote in villa regia, adfuerint hunc in finem exstructa aedificia  
neceffe est. Quin et castellis maniram fuisse Salfeldiam, vt ex nonnullis  
argumentis ita et inde liquet, quod infra inter testes est Burchardus, ipsius  
loci aduocatus, siue praefectus, aut, vt seculo secuto appellati sunt, Burggra-  
fius. Vid. Kreyfzigs Beytraege zur Hist. der Chr. u. F. S. Lande P. I. p. 299.  
Deinde et Etzo Comes Palatinus non is fuit, qui ab Henrico II. Imperatore  
munere tam leniuiculo, quale Salfeldia vicus fuisset, deliniri potuisset. Tan-  
dem Richezzam reginam post auspiciatam ex Polonia fugam cum opibus suis  
in tenui squalidoue vico confedisse vix credibile est. Iure igitur Pagus Sal-  
feld in tabula Zolmanni geographica suum obtinuit locum.

interueniente conditione, a me iure perpetuo et secura liberalitate, absque contradictione possessa, ad salutem omnium credentium, summae et indiuiduae Trinitati, eiusque praecipuis testibus, et nostris tutoribus Petro et Paulo cum sanctis omnibus monasterium constitui. \*) Id autem monasterium primo adhuc ritu canonico excolendum institui: Deinde melioribus votis superna dispensante clementia ad religionem magis attendens Regulari familiae et spiritualibus filiis domum nostram disposuimus. Hunc autem locum eo ardentius caelesti perurgente desiderio aedificare

\*) Id autem — disposuimus. ] Habet haec verba Libius, sed ad marginem adiecta; apud Schieg, Schamel, atque Falck, desiderantur. Cum igitur clare atque perspicue ipse Anno monasterium se ritu canonico excolendum indicuisse significet, plane non video, qua ratione tam multa, ficta et commentitia Libius de ecclesia collegiata Canonicorum regularium, inde a Caroli Magni temporibus fundata, garrere potuerit. Schlegelio atque Schamelio, qui eum temere sequuntur, eo minus venia danda est, si incorrupto litterarum Annonis exemplari vsi sint, verbaque illa consulto omiserint. Schamelio quidem de eccles. Can. reg. illudit Falckensteinus, eamque a Carolo Magno anno 810. hortatu Lullii, qui 787. diem obiit, fundari potuisse negat; caeterum vero Annonis litteras ipso Schamelio inquinatiores dedit. Res omnis ita se habere videtur: Richeza majorem pagi Salfeldiensis partem aere suo sibi comparauerat, et vbi praedia subinde venalia fuerunt, cum pecunia abundaret, coemit. Fratres habuit Ottonem, Comitum Palatinum et Hermannum, Archiepiscopum Coloniensem; ille 1048. obiit, hic 1055. Cui quidem cum successit Anno, neque monasterii Brunwilleriani exaedificationem a gente Palatina susceptam admodum iuuaret, Richeza exceptis, dum viueret, redditibus, praedia Salfeldiensia et caetera, quae possedit, bona donauit Annoni. Hic igitur Colonia misit Canonicos quosdam suos, vt nouam veluti haereditatem cernerent, et simul populum rudem ad sacra christiana traducere conarentur. Quid mirum, si hi, remoti a domino suo, nactique egregiam genio suo indulgendi facultatem, in turpia quaeque se dederunt praecipites.

ficare comprobauimus, vt populum rudem, et christianae religionis inscium, et ignarum diuini germinis, <sup>6</sup> paganismo et errore vanitatis eliminato <sup>7</sup> ad gloriosum nomen Dei benedicendum inducerem, sperans, nos <sup>8</sup> areae coelesti tanto gratiores laboris <sup>9</sup> nostri manipulos quanto nouellae plantationis illaturos. Igitur gratias agentes <sup>10</sup> diuinae maiestati pro inspirata suae iussione voluntatis, et <sup>11</sup> concessa piae intentionis consummatione offerimus hunc locum Deo, bonorum omnium auctori, <sup>12</sup> singulare nostrae deuotionis sacrificium, in quo sit gloria in excelsis <sup>13</sup> Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Bona <sup>14</sup> autem, quae contulimus <sup>15</sup> monasterio, sunt haec: Villa ipsius loci cum mercato et nemore adiacente, quod inter <sup>16</sup> Schwarza et Remschitze et Germarisdorf et <sup>17</sup> Kediten situm est, et in superiori silua, quicquid est citra amnem, qui dicitur <sup>18</sup> Wybach, Grabin ex toto: Wiltersdorf ex toto: <sup>19</sup> \*) Grabindorf, Chrolup, <sup>20</sup> Vngewitz, \*\*) Inurdawini, Godawini, vtrumque <sup>21</sup> Opult, Nim-

D Nim-

6. <sup>6</sup> inferuit Aquila. 7. ad omittunt Schleg. Sch. et F. 8. <sup>8</sup> arc<sup>a</sup> habet Schleg. 9. <sup>9</sup> nostri laboris Sch. et F. 10. Scham. et F. <sup>10</sup> summae ac diuinae. 11. <sup>11</sup> concessae Falck. 12. <sup>12</sup> Singulari, caeteri omnes. 13. <sup>13</sup> Deo, omittunt, Scham. et F. 14. <sup>14</sup> pro autem Scham. et F. habent enim. 15. <sup>15</sup> monasterio omittunt Scham et F. 16. loco <sup>16</sup> Schwarza est Scharfeld ap. Scham et F. 17. <sup>17</sup> Keditz Sch. et F. 18. <sup>18</sup> Weybach Sch. et F. 19. <sup>19</sup> Grabendorf Scham et F. 20. <sup>20</sup> Vngawitz Schleg. 21. <sup>21</sup> Opalt Sch. et F. Nim-

\*) Grabindorf — Schweinitz ] hi omnes ad viam, aut prope ab ea, sunt, quae ducit Neostadium.

\*\*) Inurdawini ] Non dubito, quin hic vicus olim etiam Slotawini dictus fuerit, hodie schloettwein. A deastris enim multos Sorabi denominauerunt viros. Diuitiarum praestites ex eorum sententia slora et Piluitus fuerunt; ab illa slotawini nomen accepit, ab hoc Bilwitz; ab Aufchwito, quem valetudini et bonae et malae praesae arbitrati sunt, Taplschwitz.

<sup>22</sup> Nimbrici, <sup>23</sup> Sulwitz, Schweinitz et <sup>24</sup> Lemane ex toto. In <sup>25</sup> Longawitz duo <sup>26</sup> mans. Leftini, Chotizi ex toto, exceptis venatoribus, <sup>27</sup> Germarsdorf, <sup>28</sup> Remischzi, <sup>29</sup> Misfazi, <sup>30</sup> Prilop et alterum <sup>31</sup> Prilep cum duabus vineis: <sup>32</sup> Growitz, <sup>33</sup> Chulisdorf ex toto, Rudenbach: In Schwartz <sup>34</sup> XII, mans. In Eichenfeld IV. In <sup>35</sup> Kircheim <sup>36</sup> XVI. In <sup>37</sup> Alterstetin XXV, de quibus <sup>38</sup> IV. in Saltza. In <sup>39</sup> Sohin XIV, <sup>40</sup> praecarie accepti a Theodorico, datis ei tribus villis <sup>41</sup> Culcawitz, <sup>42</sup> Wanfridt, <sup>43</sup> Wabirsteti, ea conditione, ut, si <sup>44</sup> contingeret heredem non esse, in potestate essent monasterii: Tradidimus ei etiam Breternitz cum piscatoribus, eandem villam obtinentibus, et quaecunque in eadem provincia temporibus dominae <sup>45</sup> Richezet ad piscatoria jura pertinebant, in piscinis, in lacubus et in banno super quaelibet <sup>46</sup> flumina. Concessimus quoque,

22. Nimbrin Schleg. Nimnici Scham, et F. 23. Sulwitz et Schweinitz omittunt Sch. et F. 24. Loeman Lib. et Schleg. Loman Sch. et F. 25. Longawitz Schleg. 26. Mansleini Schleg. 27. Germarsdorf Scham, Germars Falck. 29. Remischzi Sch. et F. 29. Misfazi Sch. et F. 30. Prilip Sch. et F. 31. Prilep Lib. et Schl. 32. Grobitzi caet. omni. 33. Chulsdorf Sch. et F. 34. XVI. caet. omnes. 35. Kircheim Schleg. Ruchsin Sch. et F. 36. XII. caet. omnes. 37. Alterstedt Lib. Alsted Sch. et F. 38. II. Falck. 39. Sochin Lib. Sochin Schl. Sachin Scham, et F. 40. precario Sch. et F. 41. Kulkawitz Schl. Kulkawitz Scham, Ruthawitz Falck. 42. Wanfried Schl. 43. Wabirsted Scham, et F. 44. contigerit Sch. et F. 45. Richezet Lib. Richezet Scham. Richezet Falck. 46. fulmina Scham, quae vox et repetita est in Thuringia sacra; in cuius autorem Schoettgenius in libello de Majoribus Sizzonis, Comitis Keuernburgici, grauter his verbis inuehitur; *Monasteria Schameliana ab interprete negligenter admodum sunt habitata, sphaematibus quoque Typographicis, quae absentia Auctoris euitare non potuit, retentis, Sed nefciuisse videtur Schoettgenius, eundem Schamelium vna cum Henr. Frid. Ottone opus illud edidisse.*

que, vt<sup>47</sup> in bonis monasterii secundum<sup>48</sup> consuetudinem prouinciae<sup>49</sup> illius neque canes pascantur, neque stipendia venatoribus dentur. Dedimus ei noualia, quae<sup>50</sup> ipsi in nemore nostro<sup>51</sup> nouauimus<sup>52</sup> \*) Clinowa, et aliud<sup>53</sup> Elinowa, <sup>54</sup> Scathaha, totumque reliquum nemus, cum omni vtilitate. In quo etiam alia noualia ad vsum fieri instituimus, Gamprech,<sup>55</sup> Huttin,<sup>56</sup> Fridenbach, et si quae alia fieri ibi<sup>57</sup> possint. In maiori quoque silua, quae dicitur<sup>58</sup> Vorstwald, quousque nostra potestas protendit, scilicet<sup>59</sup> vltra<sup>60</sup> Laestin vsque ad amnem, qui dicitur<sup>61</sup> Hasela, dedimus ei potestatem venandi, noualia faciendi, et qualibet vtilitate in ea fruendi. In salinis<sup>62</sup> \*\*) Franckenhufen<sup>63</sup> IV. sartagines. In tota regione<sup>64</sup> Salueldensium pro iusta decimatione, quia non potuit exigi de singulis mansis, \*\*\*) duo modii

D 2

per-

47. in omitt. Sch. et F. 48. consuetum Sch. et F. 49. morem ad sensum sup-  
plendum inferunt Sch. et F. 50. ipse Falck. 51. notauimus Sch. et F. 52. Ci-  
nawa Sch. et F. 53. Clinowa iidem. 54. Schathaha Lib. et Schleg. 55. Hutt-  
ni Sch. et F. 56. Fridenbach Schleg. 57. possunt Sch. et F. 58. Forstwald  
Lib. Forstwald caeteri. 59. vltra omittit Schleg. 60. Loestin Lib. et Sch.  
Loessin Schleg. Loflin Falck. 61. Hasela caet. omnes. 62. Franckehufen  
Sch. et F. 63. II. tantum Falck. 64. Salsfeldensium caeteri.

65. fo-

- \*) Clinowa — Elinowa ] Ea denotatur regio, vbi iam vicus est, qui tribus ab-  
hinc feculis dicebatur Owe am oder hinter dem Berg, postea Au am Berg;  
hodie ab agrestibus, delectatur hoc genus hominum dicendi compendiis, di-  
citur Ra.
- \*\*) Falluntur igitur Franckenhufani, si neminem vnquam salinarum suarum ha-  
buisse socium atque participem putent. Vid. Europaeische staats- und Reife-  
geographie P. VI. Lib. 7. p. 1012. Wer nicht Bürger ist, vnd hier nicht  
wohnet, der kan keinen Antheil am salzwerke haben, wie solches von un-  
denklichen Jahren her in Obacht genommen worden ist.
- \*\*\*) Non igitur ex integro decimae fuerunt, sed ex statuto. vid. *Kreyfzigs Beytrae-  
ge zur Histor. der Chur- und F. sacchl. Lande P. VI. p. 81.*

persoluendi sunt; in haec exoratis et<sup>65</sup> voluntarie con-  
 sentientibus<sup>66</sup> incolis omnibus. Quod cum recogno-  
 vissem Moguntinensi Archiepiscopo, ad cuius episco-  
 patum decimae regionis pertinent, ipso quoque traden-  
 te collatum est monasterio. Tradidimus etiam eidem  
 monasterio<sup>67</sup> nostro<sup>68</sup> Choburgk cum omnibus  
 id loci pertinentibus et tam in Choburgk, quam in Sal-  
 veld quaecunque beneficia monasterialium, siue milita-  
 rium quibus et quando heres non superfit, nulla vn-  
 quam praesumente contradictione. Sunt praeterea  
 eidem monasterio a nobis<sup>69</sup> contradita in Immelden V.  
 mansi. in<sup>70</sup> Molire VIII. in<sup>71</sup> Beliffen II. in<sup>72</sup> Mamel-  
 richstat et<sup>73</sup> Berckerisdorf<sup>74</sup> LII. cum vinea. Tradi-  
 dimus ei etiam<sup>75</sup> Barckveldan ex toto, quod Arnoldus  
 cum vxore<sup>76</sup> sua accepto<sup>77</sup> beneficio<sup>78</sup> contradiderunt.  
 De ministerialibus nostris dedimus ipsi ecclesiae<sup>79</sup> Hi-  
 zemannum de<sup>80</sup> Rinda, Bettonem et Gumponem fra-  
 trem eius, de Walbera cum beneficiis suis, ipsis petenti-  
 bus et voluntarie consentientibus. Tradidimus ei be-  
 neficium Tegimonis,<sup>81</sup> Bezelini,<sup>82</sup> Rasconis Graftonis,  
 Bowirwitis,<sup>83</sup> Herimanni,<sup>84</sup> Salochonis,<sup>85</sup> Hildewar-  
 di,

65. *Voluntario* Sch. et F. 66. *incolis* Sch. *ineclis* F. 67. *nostro* omitt. Sch.  
 et F. 68. *Choburg* Sch. et F. 69. *tradita* caet. omnes. 70. *Mobire* Scham.  
 et F. 71. *Biliffen* caet. *Biliffen* F. 72. *Mamelrichstat* Lib. *Mamelreich-*  
*stede* Schleg. *Mamel Wichstad* Sch. et F. 73. *Bercherisdorf* Schleg. *Berckers-*  
*dorf* Sch. et F. 74. ante LII ponunt *cum* Lib. et Schleg. 75. *Barckveldam*  
 Schleg. *Burckwalda* Sch. et F. 76. *sua* exulat a Sch. et F. 77. *beneficio*  
 Schleg. 78. *contradederunt* Schleg. 79. *Hiezemannum* Lib. *Hiezemannum*  
 Schleg. *Hic Zemannum* Sch. et F. 80. *Rinda* F. 81. *Bezaloni* Scham. *Bezlo-*  
*ni* F. 82. *Rusconis* Sch. et F. 83. *Hermanni* Sch. et F. 84. omitt. S. et F.  
 85. omitt. Sch. et F.

di, Ruperti, <sup>86</sup> Adelberti, qui omnes absque herede <sup>87</sup> se-  
nuerant, et vt ecclesiae eius heredem faceremus postu-  
labant. In <sup>88</sup> constituendo abbate eisdem fratribus <sup>89</sup> su-  
ae electionis jus proprium damus, qua nullus constitu-  
tus ad aliquod curiale seruitium constringatur, ne quis  
aduocatus, vel <sup>90</sup> subdefensor vnquam, nisi voluerit ab-  
bas, monasterio vel donis constituatur. Attestante ve-  
ro scriptura, quod in ore duorum aut trium testium sta-  
bit omne verbum, ad perpetuam huius delegationis  
stabilitatem, non duos vel tres, sed plures adhibuimus  
testes idoneos, ex quibus fuerunt in clericali habitu:  
<sup>91</sup> Herimannus Vicedominus, Rupertus, Bernhardus;  
et in laicali habitu: Burchardus, ipsius loci aduocatus,  
Berlachus, Comes <sup>92</sup> Liembundinus, <sup>93</sup> Bermo, Hilo-  
mannus, ceterique quam plures, quos omnes nomina-  
re non est <sup>94</sup> necessarium; <sup>95</sup> quum illi praecipue cum  
sanctis suis huius rei <sup>96</sup> commendauimus testimonium,  
qui <sup>97</sup> testimonio non indiget hominum, quia ipse testis  
et inspector est omnium. Oportet <sup>98</sup> ergo vineam <sup>99</sup> do-  
mini Sabaoth sepi tuta muniri, ne vnquam, <sup>100</sup> quamli-  
bet <sup>101</sup> maliuola praesumptione, in detrimentum gregis  
Christi depascatur. Inuocata itaque summae diuinita-  
tis <sup>102</sup> omnipotentia, intercedentibus meritis gloriosae  
Dei genitricis Mariae, principumque apostolorum, Pe-

D 3

tro

86. Adelbarti Sch. et F.

87. Secum erant Sch. et F.

88. insti-

ruendo Sch. et F.

89. suis Sch. et F.

90. subdefensor. F.

91. Herimannus — habitu: Omitt. sch. et F.

92. Liembundinus Sch. et F.

93. Berino Schleg. Bernio Sch. et F.

94. necessum Sch. et F.

95. quem caet.

omnes. 96. commendamus Sch. et F.

97. testimonium Sch. et F.

98. igitur.

Lib. et Schleg. 99. Dei Schleg.

100. quamlibet omittunt caeteri.

101. maliuola Sch. maliuola F.

102. omnipotentissima librarii vitio in auto-

grapho

tro et Paulo, sibimet in domo propria patrocinantibus: interuenientibus quoque, meritis omnium Sanctorum, nostro quoque pontificali edicto, et auctoritate totius catholicae religionis, sub interminatione perpetui anathematis, et illius tremendi examinis, sit locus ipse in pace stabili, quietus in tranquillitate, per eum securus<sup>103</sup> ab omni manu et injuria tutus, Deo liber et deuotus. Quicumque vero pia voluntate operis nostri adiutor extiterit, caeptisque nostris non male voluerit, erit parse eius in sorte iustorum in die Domini. Si quis vero in aliquo contrarius venerit, nisi<sup>104</sup> compunctus resipuerit, ignis extremæ ultionis<sup>105</sup> inuoluat eum, a verme nunquam moriente exedendum, cum Juda proditore perpetuis gehennae incendiis. Actum est hoc anno dominicae incarnationis MLXXIV. Indictione XII. Sub Apostolicae sedis praesule Gregorio VII. Hellebrando, regnante Henrico IV. Moguntinae sedis pontifice Sigefrido.

Ego Herimannus Vicedominus recognoui.

Ab eadem Aquilae manu adjectae sunt litterae Honorii Pontificis ad Waltherum Abbatem 1116. datae, quibus beneficia ab Annone in monasterium collata confirmantur. Edictae quidem sunt ab Hoennio in Chron. Coburg. P. II. p. 10. et a Schamelio in Schediasmate de Numm. Salfeld. Sed iure Verpoortennius in Initiis Salfeldiae de lectionum diuersitate questus est. Dabimus illas, quia jam plagularum numeri nobis definiti ratio est habenda, alio tempore; si modo consilium nostrum viris, quorum apud nos plurimum valet autoritas, probari intellexerimus. Nunc

grapho scriptum fuisse videtur. 103. ob F, 104. compunctus Scham et F.  
105. inuolui F.

08783



Nunc ab INSPECTORIBVS EXCELLENTISSIMIS  
SPECTATISSIMISQVE PATRONIS atque FAVORIBVS  
illud primum rogamus, vt A. D. XVIII. April, ad scho-  
lae Iulstratinem, et postridie ad IV. audiendas orationes fre-  
quentes accedere, suaque praesentia adolescentulorum  
diligentiam denuo excitare velint.: Deinde et speciatim  
AMPLISSIMO SENATVI de libris ex tabulario suo nobis-  
cum communicatis gratias agimus maximas.

A. D. XIX. Apr. Dicendi pericula facient, qui se-  
quuntur:

I. JO. FRID. GEORG FALCO, Comiualliensis,  
*De populis vagantibus.*

II. THEOPHIL. AVGVST. FRID. FABEL,  
Croelpensis, *De hominibus in societates coeuntibus.*

III. JO. HENR. GRVBER, Comiualliensis,  
*De viris quibusdam insignibus in ciuitatibus urbium  
conditoribus.*

IV. FRID. CHRISTIAN FRANCISCVS  
ENGELSCHAL, Salfeldiensis, *De antiquis  
Salfeldiae ciuitatis legibus ciuicis;* hic et II. prio-  
ribus, scholam cum academia commutaturis,  
bene precabitur.

Dab. Salf. a. d. XIII. Apr. 1771.

Con-

# Conspectus Lectionum

A. D. XVIII. Apr.

Hor. IX.

- I. Cantic. O GOTT du frommer Gott,
- II. Theol. I. et II,
- III. Lat. I.
- IV. Lat. II.
- V. Matthem.
- VI. Lat. III.
- VII. Graec. III.
- VIII. Lasf mich dein seyn und bleiben.

Hor. II.

- I. Gott du hast in deinem Sohn.
- II. Theol. III.
- III. Graec. II.
- IV. Hebr. I. et II,
- V. Graec. I.
- VI. Geogr. I.
- VII. Wunderbarer Koenig.

Corrigenda in P. I. p. 4. versu 17. l. Iccccxxvi, versu  
18. l. Ludouici II.



Con

Pon Yd 5392, QK  
(1/3)

ULB Halle

3

002 698 501




Sb

VD 18







B.I.G.

Farbkarte #13

Inches  
Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

3

Yd  
5392

BIBLIA  
M  
IVITATIS  
RE

ES IV.  
IL.

SIMOS

SIMOS

ORES

NOS

ES

DCHMAN

DEMANIANIS.

*J. Kerret. J. J. J.*